Ephraem Syrus; Assemani, Giuseppe Simone [Hrsg.]: Sancti Patris Nostri Ephraem Syri Opera Omnia: quae exstant, graece, syriace, latine; in sex tomos distributa; ad MSS. Codices Vaticanos aliosque castigata, multis aucta, Nova interpretatione, Praefationibus, Notis, variantibus Lectionibus illustrata: Nunc primum sub Auspiciis Sanctissimi Patris ... Pontifecis Maximi e Bibliotheca Vaticana (Tomus Primus Graece, Et Latine)

1732 Seite LXXXIII



pag. 14. *Et hæc quidem, ac his plura de caritate* &c.

Quomodo festa Sanctorum celebrentur. *Cum Sanctorum memorias celebramus, memores simus omnium debilium*. Flor. 4. Patav. 3. Apud Vossium tom. 3. pag. 201. in eo sermone, cujus initium, *omnis celebritas*, ab iis verbis, *Concelebratur Christus, ubi pauperes atque mendici curantur*.

Laudes Sanctæ Crucis. *Nos autem fratres ab eis declinemus, postesque nostros pretiosa ac vivifica Cruce coronemus, dicentes cum Apostolo Paulo: mihi absit gloriari*. Flor. 4. Patav. 3. terg. Apud Lipomanum tom. 7. pag. 15. Surium tom. 3. pag. 56. & Vossium tom. 3. pag. 201. in eo sermone, cujus initium, *omnis celebritas*, ab iis verbis, *Nos vero parvi pariter ac magni, viri & feminæ, Christiano more festa dominica celebremus &c. coronemus portarum frontes, ut Christiani, & non ut gentiles atque pagani*.

De ultimo Judicio. *Quæ vero post hæc futura sunt, cum illa radiare in cælis cœperit, putas qualia erunt? At ista, fratres, fortassis omnem sermonem, omnem mentem, omnemque cogitationem superant*. Flor. 4. terg. Patav. 4. Apud Vossium serm. cujus initium, *omnis celebritas*, ab iis verbis, *At quæ post eam revelanda sunt, cujusmodi?* Tom. 3. pag. 202.

De iis quæ fient in extremo Judicio. *Ad hæc, qui aderant studiosi auditores ac fideles Christi dixerunt: Dic nobis & reliqua, ut audientes pœnitentiam agamus. Ad quos ille: Intente, quæso, accipite, fratres mei dilectissimi. Tunc enim requiretur in singulis Christianis Baptismatis sigillum illibatum*. Flor. 7. Patav. 7. Apud Vossium tom. 1. pag. 198. *Interrogarunt Christo dilecti auditores: Commemora nobis & reliqua, ut audiamus. Doctor. Tunc omnis homo constitutus in medio regni & judicii*: cum sequentibus Interrogationibus.

De variis tormentorum locis. Interrogatio. *In unum omnes supplicium abibunt, an varii cruciatus sunt? Responsio. Varia sunt tormentorum loca, sicut in Euangelio audivimus*. Flor. 9. Patav. 10. Apud Vossium tom. 1. pag. 201. *In unum ne omnes supplicium &c. Varia tormentorum esse loca, ex Euangelio novimus*.

2. De Judicio, & Resurrectione, & Caritate, & Compunctione, Sermo II. *Venite fratres mei omnes: audite consilium peccatoris & minimi omnium Ephræm*. Flor. 15. Patav. 14. terg. Voss. tom. 1. pag. 248.

3. De Judicio & Resurrectione, sermo III. *Venite omnes fratres mei, audite me pusillum Ephræm, mentemque nostram judicem constituamus*. Flor. 17. Patav. 20. Voss. tom. 1. pag. 246. *Adeste fratres mei omnes, & me Ephræm minimum audite*.

4. De vita & exercitatione monastica, Sermo IV. *Dolor me in verba compellit, & indignitas mea, ut taceam, imperat*. Flor. 18. terg. Patav. 22. Voss. tom. 3. pag. 34. *Labor & dolor me ad loquendum*.

De Conversatione Monastica. *Venite dilectissimi mei: Venite patres ac fratres mei, grex Salvatoris electe: Venite negotiemur, quandiu subsistunt nundinæ, & celebritas constat*. Flor. 33. terg. Patav. 42. Voss. tom. 2. pag. 217. Hic sermo in impressis, cum antecedenti Ambrosiano conjungitur: sed in plerisque manuscriptis separatur.

5. Quod non oporteat ridere, sed flere ac lugere, Sermo V. *Initium perversionis animæ Monachi, risus est atque fiducia*. Flor. 37. Patav. 46. terg. Voss. tom. 1. p. 110. In hoc Sermone apud Ambrosium edit. Flor. pag. 37. a tergo, & Patav. pag. 48. laudantur Sancti Antonius & Athanasius, his verbis: *Unde & Sancti Patres non ignorantes malignitates eorum contra nos, nequaquam negligebant, neque levitati operam dabant, sed sibi ipsis intente vacabant, sibique intendentes, ac placentes Deo suo: qualis fuit Sanctus Antonius, Sanctusque Athanasius, ut ipse meminit in eo, quem de vita ipsius conscripsit, libro &c.*

6. Ad animam negligentem. Sermo VI. *Anima, quæso, ne concidas, neque affligaris*. Flor. 39. Patav. 50. Voss. tom. 1. pag. 264.

7. Ad Monachos, de Sanctis quibusdam Patribus, qui tempore illo requieverant. Sermo VII. *cor meum doleo, Compatimini mihi, fratres mei, fidelissimique conservi*. Flor. 40. terg. Patav. 51. terg. Voss. tom. 3. pag. 269.

8. De armatura Monachi, quod oporteat Monachum veluti militem in acie semper assistere. Sermo VIII. *Talem armaturam sibi debet acquirere, qui pro Christo certare instituit*. Flor. pag. 42. Patav. 54. terg. Voss. tom. 2. pag. 258. In manuscriptis Ambrosianis, hic sermo in alios sequentes dividitur.

De timore Dei habendo. *Pro gladio sane sume timorem Dei*. Flor. 45. terg. Patav. 59.

De silentio & sancta quiete. *Posside autem silentii quietem, veluti murum munitum*. Flor. 49. Patav. 64.

9. De pœnitentia. Sermo IX. *Dominus, qui de alto Patris sinu descendit ad terram, factusque est nobis salutis via*. Flor. 50. Patav. 65. terg. Voss. tom. 1. pag. 152. Al. De conversione & pœnitentia.

10. De secundo Domini adventu. Sermo X. *Accedite filii lucis, audite dulcissimam & beatissimam Salvatoris nostri vocem dicentem ad nos: Venite benedicti Patris mei*. Flor. 53. Patav. 69. terg. Voss. tom. 1. pag. 254.

11. De timore Dei. Sermo XI. *Attende tibi ipsi, dilectissime, nequando in negligentia & vanitate perdas tempus tuum*. Flor. 55. terg. Patav. 72. terg. Voss. tom. 2. pag. 196. Al. Admonitio de timore Dei.

12. De angustia, qua premitur anima, cum ex pugna contra se hostis infirmior fit. Sermo XII. *Anima angustiis pressa, accedit ad te Sancte Domine*. Flor. 57. Patav. 75. Voss. tom. 1. pag. 65.

13. De Compunctione. Sermo XIII. *Indultor bonorum omnium, fonsque sanitatum, & thesaurus miserationum*. Flor. 60. Patav. 79. Voss. tom. 1. pag. 146.

14. De passione Domini Salvatoris. Sermo XIV. *Loqui timeo, & narrationem plenam horroris linguæ officio aggredi*. Flor. 62. terg. Patav. 82. terg. Voss. tom. 3. pag. 193.

15. Ad eos, qui Filii naturam scrutari volunt. Sermo. XV. *Rex Cælestis, immortalis Dominus, filius Unigenitus, dilectus Patris*. Flor. 65. Patav. 86. Voss. tom. 3. pag. 178.

16. De Antichristo. Sermo XVI. *Quomodo peccator ego, plenusque delictis, explicare ea potero, quæ meas excedunt vires?* Flor. 68. terg. Patav. 90. terg. Voss. tom. 1. pag. 233.

17. De Virginitate. Sermo XVII. *De Virginitate & sanctificatione animæ, Paulus Apostolus, ut consiliarius optimus, nos admonet omnes*. Flor. 74. Patav. 97. a terg. Voss. tom. 1. pag. 134.

18. De laudibus Martyrum. Sermo XVIII. *Insipiens, imperitus, rudis pictor & horridus, pulcherrimam spectatoribus proponere imaginem cupit*. Flor. 76. terg. Patav. 101. Voss. tom. 3. pag. 245.

19. Laudatio Sancti Joseph Patriarchæ. Sermo XIX. *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus magne atque mirabilis, qui etiam elegisti semen Sanctorum servorum tuorum*. Flor. 79. Patav. 104. terg. Voss. tom. 3. pag. 131.



http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/ephraem1732-1/0127
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg